



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in  
Ducatu Lucilburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. XXIII. Yolandae fama & auctoritas apud Principes. Blanca D. Ludovici  
mater, Regina Galliae, benefacit Mariae Valli. Eandem benevolè  
prosequuntur Henricus Magnus & Margarita Comites ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

peterent Vallis MARIAE Virgines reddi Germanico idiomate leges suas ? aut quis potius id officij illis præstaret , quam idem ille earum moderator ?

## CAPUT XXIII.

*Yolandæ fama & auctoritas apud principes.  
Blanca D. Ludovici mater, Regina Galliæ, benefacit MARIAE Valli. Eandem  
benevolè prosequuntur Henricus Mag-  
nus, & Margarita Comites Lucilburgen-  
ses. Margarita Yolandæ matris mors &  
sepulchrum. Meisenburgiorum procerum  
memoria apud MARIAE Vallem.*

**Y**olanda ut domi in magna fuerit veneratio ne, non minus tamen foris apud Magnates & Principes valebat gratia & auctoritate. Blanca in primis, D. Ludovici Galliæ Regis mater, cœnobio MARIAE Vallis, haud dubiè permota Yolandæ cognatæ memoria, donavit XL. libras nummum Turonensem; quod donum voluit olim filiæ suæ Margaritæ, nuptæ Ioanni I. Brabantiae Duci, cum defuncta esset, prodesse. Obiit autem Blanca anno M. CC. LII. Margarita vero sub anno M. CC. LXXI. Et credibile, tum ex matris decreto numeratam Yolandæ pecuniam. Est hac de re ita scriptum in ephemeridibus mortuialibus MARIAE Vallis.

III. Nov.

III. Non. Novembres, obiit D. Margarita Ducissa Brabantiae, soror D. Philippi Regis Franciae, pro cuius anima Domina Blanca mater sua dedit XL. libras Turo-nenses.

Henricus Comes Luciliburgensis, cognomen-to Magnus, qui Yolandam, ut memoravimus, Luciliburgi cum eius matre acceperat, & iam tum adversus Yolandam faventes animos conceperat, cruce signatus anno M. CC. LXX. haud multo post obiit, cœnobium MARIAE Vallis summa semper benevolentia complexus, ut est in ephemeridibus.

IX. Kal. Ianuarij obiit illustris Dominus Henricus Comes Lucemb. qui prosecutione favorabili nos & nostrum monasterium manu paternâ protegens, bona nostra tanquam pius pater in omnibus semper studuit ampliare.

Nec minus quam Henricus, Margarita eius uxor, filia Theobaldi Comitis Barrensis, memoriā sui apud MARIAE Vallem reliquit; nimirum Yolandam, ut dictum in superioribus, Luciliburgi quondam cum Margaritâ matre habuerat hospitam. Decessit Margarita post annum M. CC. LXX. sepulta in cœnobia Clari Fontis Virginum Cisterciensium, haud procul Orolau-no. Dies mortis eius in iisdem ephemeribus ita est notatus.

IX. Kal. Decembris, obiit illustris Domina Margarita Comitissa Lucemb.

Inter hæc Margarita Yolandæ mater Sancti-monialis piè decessit XVI. Kal. Augustas, anno

M. CC. LXX.

q[uo]d obiit anno d[omi]ni millesimo secundus in viennae

XVI KAL AUGUSTI.

M. COMITISSA VIENNAE



HANNOV

ETIENNE

HOLOS HECCE FUIT AVIA MEA ET SOROR EKL DCL

IMPATORIS CONSTANTINOPOLITANI SYLVE

M. CC. LXX. Yolanda sepulchrum ei fecit & sua  
 & matris modestia dignissimum, spreta hic quo-  
 que ut in ceteris rebus, humana pompa. Siqui-  
 dem vulgare saxum est, sub arcu intrà murum  
 humili patens, simplicibus linearum ductibus,  
 imagine Margaritæ, habitu Sanctimonialis, effi-  
 giatum. Facies cum manibus, cingulo & calceis,  
 olim ex vitro aptè colorato lapidi inferebantur.  
 Sed ea nunc plurimùm confregit ætas. Vestis est  
 tunica ad talos demissa & præcincta, cum scapu-  
 lari & pallio cucullato, ita ut velum non appa-  
 reat. Sub pallio stat Henricus, Philippi comitis  
 Viennensis primogenitus filius, pueri tunicati  
 habitu, dextra schedion oblongum tenens, fini-  
 stræ indice protenso ad aviam, ceu eo gestu mon-  
 straturus, quod de avia legas. Sepulchri imagi-  
 nem aspice.

Sic sita est orta ex regio sanguine mulier, Im-  
 peratoris filia, Imperatoris soror; & quæ nuper  
 illum sui tumuli locum indomito spiritu redigere  
 volebat in cineres, ea nunc ibidem facta Sancti-  
 monialis, cinis & pulvis in pace quiescit. Ut mi-  
 rere virtutem Dei, celsissima quæque fastigia,  
 cum ei libitum, submittentis in plana, hâc tamen  
 insigni Margaritæ commendatione, quod ita de-  
 iecta, seipsâ longè maior semper erit reputantibus  
 rectè posteris. In ephemeridibus, hoc est eius  
 elogium.

XVI. Kal. Augusti obiit Soror Margarita, quondam  
 Comitissa Viennensis, mater Sororis Yolandis Priorissæ,  
 de

de quā habuimus plusquam mille libras. Hac die habebis  
Conventus ad Pitanciam XL. solidos de Nortzingen.

Quam plurima ad hæc equestrium patriæ nostræ virorum est in eisdem ephemericibus memoria. Sed quia non satis constat, qui eorum Yolandæ temporibus vixerint, tacitè eos præterire cogor, aliquot demptis Meisenburgijs. Est ergò Adelini Meisenburgij mentio in priscis tabulis ab anno 1192. ad annum usque 1256. quem Waltheri Meisenburgij Prædicatoris nostri patrem fuisse, temporum & nominis ratio, nisi longè fallor, exigere videtur. Siquidem Walthero nostro coævus fuit. Waltherus ex eâdem gente Meisenburgicâ alius, Erardi Meisenburgij filius, Godefridi, seu Ioffridi frater; & Erardi quidem meminere veteres tabulæ ab anno 1214. ad annum usque 1244. quo anno Ioffridi & Waltheri, quos dixi, filiorum eius nomina edunt, & quo tempore Waltherus noster Ordini D. Dominici adscriptus iam Prioris munus apud Treviros expleverat. Alius ergò ipse est ab Erardi filio Walthero, & nostri potius pater dicendus Adelinus. Fuit autem Adelinus iam ab anno 1235. Ermesindi Comitissæ Lucilburgensi eiusque filio Henrico à consilijs, deque eo ita scriptum est in ephemericibus MARIAE Vallis.

VII. Idus Decembris obiit Dominus Hadelinus de Meisenburgh.

Waltherum autem Erardi filium, eum esse arbitror, cuius existat cumba ad MARIAE Vallim

lem , cubante in oblongo saxe, pro illorum temporum moribus, viro togato & palliato. Circumscripsum.

ANNO DOMINI MILLESIMO DUCENTESIMO SEPTUAGESIMO IV. IDUS OCTOBRIS OBIIT WALTHERUS DOMINUS DE M. .... BURCH.

At in Ephemeridibus.

IV. Idus Octobris obiit *VV*altherus Dominus de Meisenburch , qui dedit XXXIV. libras.

Memorabile est , quod de hoc Walthero à maioribus traditum narrant Sanctimoniales. Celibem eum duxisse vitam , & in eius rei argumentum floreum sertum circà caput eius statuæ sculptum ; quod alieni sit arbitrij. Sanè Alexander de Celobrio, Parthenonis Tifferdingani conditor, statuam tumbæ suæ incubantem habet , capite floribus coronato ; & fuit tamen uxor eius Hædewidis. De Walthero autem addunt, eum effecisse , ut apud Luciliburgenses , cum mares deficerent , puellæ quoque nobiles in hæreditatem solidam possent succedere , neque *feudis* seu clientelaribus bonis exceptis. Unde mos profluxerit , ut si quæ deinde puella nobilis hæreditatem adiret , ad Cœnobium MARIAE Vallis veniret , proque pijs Waltheri manibus sacrum faciendum curaret , eiusque statuæ caput flore circumdaret ; idque sibi visum , narrasse seniores quasdam è Sanctimonialium numero. Alij porrò præter illos Waltheri Meisenburgij memorantur in ve-

K

terum

terum tabulis, unus hâc memoriâ longè antea-  
rior, posterior alter, Provinciæ Luciliburgensis  
Seneschallus seu Gubernator, de quo id acce-  
perim, quod est in Ephemeridibus MARIAE  
Vallis.

XVI. Kal. Martias ob. Waltherus de Meisenburgh,  
qui dedit V. libras.

Hæc de Meisenburgijs paulo pluribus memo-  
râsse, non est, opinor, alienum: cum ad res Yo-  
landæ vel maximè pertineat, Waltheri Domini-  
cani, optimi præceptoris atque doctoris, ipsius pa-  
rentum commendari posteris memoriam.

## C A P U T   X X I V .

*Tolanda à Philippo Rege Galliæ D. Ludo-  
vici filio imperat spinam coronæ Domi-  
ni. Mors eius & sepulchrum. Boëmun-  
dus Trevirorum Archi-Episcopus dedicat  
ædem MARIAE Vallis, quæ propter Yo-  
landam est in summâ veneratione Prin-  
cipum.*

**I**n terres Yolandæ memorabiles, illud longè  
præcellit, quod Philippus Galliæ Rex, D.  
Ludovici filius, spinam ei ex coronâ Christi Do-  
mini donavit, de quâ re nunc differam. Editus  
est commentariolus Galteri Cornuti, Archi-Epis-  
copi Senonensis, de susceptione coronæ spineæ,  
quem